



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Litteræ Iohannis XXII. Papæ quibus fratri Michaeli Monachi ordinis  
Minorum committit causam quorundam fratrum Minorum non bene de fide  
sentientium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

factis publicè vel occultè nunquam habuit talē intentionem nec tam reprehensibilem voluntatem, addens nihilominus & deponens de credulitate, quod certus erat per credulitatem quod nunquam toto tempore vitæ suæ aliquid tale fuerat machinatus, nec cum deliberatione & consensu nunquam simile cogitavit. Testes Dominus Guillelmus Sabiniensis Episcopus & frater Henricus Magister ordinis Prædicatorum.

## LITTERÆ IOHANNIS XXII.

*Papæ quibus fratri Michaëli Monachi ordinis Minorum committit causam quorundam fratrum Minorum non bene de fide sentientium.*

Ioannes Episcopus servus servorum Dei dilecto filio fratri Michaëli Monachi ordinis fratrum Minorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Provinciæ ac Forqualquerij Comitatibus, nection & in civitatibus, terris & locis infra Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem, & Viennensem provincias consistentibus auctoritate apostolica constituto salutem & apostolicam benedictionem. Super omnia desiderabilia cordis nostri fidei catholice continuum incrementum intensioribus desideriis cupientes, gravi nimirum dolore torquemur cum audimus aliquos vel sentimus ad depressionem illius qualicunque malignitatis astutia vel colore satagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare. ad quorum iniqua sternenda molimina eò ferventiùs nostra suspirat intentio quo perniciosius in animarum stragem perversis conatibus machinantur. Nuper siquidem non

An. 1317.

N ij

absque multa mentis turbatione percepto quod nonnulli praetensi Minorum ordinis fratres solo nomine professores ad eam mentis inopem cecitatem devenerant quod haeretica labe respersi adversus saluberrimam Christianae fidei veritatem . . . . . sentiebant & alios verbis mendacibus sub mentitae pallio sanctitatis in errorum suorum devium trahere ipsosque errores defendere pro viribus conabantur, nos, qui sollicitudine vigili contumaciam dolosam astutiam opportunum remedium libenter ubilibet adhibemus, ne virus hujusmodi in eodem ordine sub specie sanctitatis hujusmodi subintraret, tibi mandasse recolimus oraculo vivæ vocis ut adversus eosdem praetensos fratres procederes juxta canonicas sanctiones & de illis faceres iustitiae complementum. Verum intendentes ut eotius ad hujusmodi pestis omnimodam exterminationem procedas quo per nos certiori fueris auctoritate munitus, discretioni tuae, de qua fiduciam obtainemus in Domino specialem, per apostolica scripta committimus & mandamus quatenus contra fratres Iohannem Barravi, Guillelmum Santoni, Deodatum Michaëlis, Pontium Rocha, Bernardum Aspa, Berengarium Tortelli, Petrum Fabri, Vincentium Girandi, Bernardum Antinaci, Guiraudum Martini, Bernardum Francisci, Guillelmum Arnaudi, Jacobum Seguini, Iohannem Raserij, Raimundum Bordini, Arnaudum Raimundi, Franciscum Sanctij, Guillelmum de sancto Amantio, Franciscum de Badonis, Servianum Philippum Ferrarij, Arnaudum Maurini, Jacobum de Rivo, Arnaudum de Felgunio, Guillelmum Girandi, & Bernardum Boneti praetensos dicti ordinis professores eadem labe respersos, quorum aliqui à quibusdam mandatis auctoritate nostra factis eidem certas appellations & protestationes interposuisse noscuntur.

& omnes & singulos ipsis adhærentes sic efficaciter & sollerter juxta statuta canonica procedere studeas quod per tuæ sollicitudinis circumspetam prudentiam dicti ordinis sacra plantatio , exterminatis vulpeculis quæ illum venenosis morsibus demoliri præsumunt , fructus offerat catholicæ veritatis. Nos enim super præmissis contra eos juxta statuta hujusmodi procedendi & alia omnia & singula quæ circa præmissa opportuna fuerint facienda & etiam exercenda , non obstantibus quibuscunque privilegiis , indulgentiis , & litteris apostolicis generalibus vel specialibus eidem ordini aut ipsius ordinis fratribus vel eorum aliquibus sub quavis verborum forma concessis , quæ prætensis fratribus & adhærentibus supradictis contra præmissa vel aliqua præmissorum in nullo volumus suffragari , & tam de duabus dietis in Concilio generali quam felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri editis , per quas judices à sede deputati prædicta extra civitates & dioeceses in quibus deputati fuerint , aut aliquos ultra unam dietam à finibus suæ dioecesis trahere prohibentur , & aliis contrariis constitutionibus quibuscunque , sive si aliquibus communiter vel divisim à dicta sit sede indultum quod interdici , suspendi , vel excommunicari , aut ultra vel extra certa loca trahi vel ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum personis ac locis ac nominibus propriis vel ordinibus mentionem , & qualibet dictæ sedis indulgentia generali vel speciali , cuiuscunque tenoris existat , per quam tuæ jurisdictio- nis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri , & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris specialis , plenam

tibi concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus insuper & apostolica auctoritate decernimus quod à data præsentium tibi sit in præmissis omnibus & singulis præsentibus & futuris perpetuata potestas & jurisdictio attributa, ut eo vi-gore illaque firmitate possis in præmissis omnibus cœptis & non cœptis præsentibus & futuris procedere ac si jurisdictio tua in prædictis omnibus & singulis per citationem vel alium modum perpetuata legitimum extitisset. Datum Avinioni  
viii. Idus Novembris, pontificatus nostri anno secundo,

*Inquisitoris sententia contra combustos  
in Massilia.*

Vide Niccolini Eymerici in Directorio Inquisitorum, par. 2, q. 15, c. 4, & q. 38.

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Noverint universi præsentes pariter [& futuri] quod cum nobis Michaëli Monachi ordinis fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi provinciis auctoritate apostolica constituto, ex parte & de mandato Reverendi Patris Fratris Michaëlis dicti ordinis Generalis Ministri per ipsum Ministri nuntios ad hoc specialiter destinatos presentati fuissent Iohannes Barrani de partibus Toulonensis, Deodatus Michaëlis, Guillelmus Sautonis Presbyteri, & Poncii Rocha Diaconus de partibus Narbonensibus, & quidam alij præfati ordinis solo nomine professores, qui in judicio constituti coram præfato Generali Ministro pertinaciter asseruerunt quod sanctissimus Pater & Dominus Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. non habuit nec habet auctoritatem ne potestatem faciendi quasdam declarationes, compo-